


1660

MISSA
SACRAT. SPINEÆ CORONÆ
D. N. JESU CHRISTI

Una ex Feriis VI. Quadragesimæ non impedita.

Ex concessione SS. D.N. Papæ PII VI. die 21. Julii 1777. recit. in omnibus hæred. Regn. & Provinc. August. Domus Austr.

Introitus. *Cant.* 3.

EGredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, parans Crucem Salvatori suo.

Psal. 8. Gloria & honore coronasti eum Domine: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

℣. Gloria Patri, &c.

Dicitur Gloria in excelsis.

ORATIO

PRæsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui in memoriam passionis Domini Nostri JESU Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris; ab ipso gloria & honore coronari mereamur in cœlis: Qui tecum vivit & regnat.

Deinde fit Commemoratio Feriæ.

Lectio libri Sapientiæ. *Cant.* 3. & 4.

LEctulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem. Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, coronaberis.

Graduale

Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus Coronam de lapide pretioso.

Tractus

Induit eum Dominus vestimentis salutis, & indumento justitiæ, quasi sponsum decoratum Corona. ℣. Corona tribulationis effloruit in Coronam gloræ, & sertum exultationis. ℣. Accepit regnum decoris, diadema speciei.

In Missis Votivis a Pascha usque ad Pentecosten. Alleluja alleluja.

℣. Corona aurea super caput ejus: expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. Alleluja.

℣. Tibi gloria Hosanna: tibi triumphus & victoria: tibi summæ laudis & honoris Corona. Alleluja.

A Pentecoste usque ad Septuagesimam, Graduale

Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus Coronam de lapide pretioso.

Alleluja, alleluja. ℣. Corona tribulationis effloruit in Coronam gloriæ, & sertum exultationis. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem, *Joan: c.*19.

IN illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum: & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo JESUS, portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Credo.

Offertorium.

Tuam Coronam adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem.

Secreta.

TUorum militum, Rex omnipotens, virtutem robora: ut quos in hujus mortalitatis stadio Unigeniti Filii tui Corona lætificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis bravium apprehendat. Per eumdem Dominum, &c.

Præfatio de Cruce.

Communio. Lætare Mater nostra, quia dabit Dominus capiti tuo augmenta gratiarum, & Corona inclyta proteget te.

Postcommunio.

SUpplices te rogamus, omnipotens Deus: ut hæc Sacramenta, quæ sumpsimus, per Sacrosanctæ Filii tui Coronæ, cujus solemnia recensemus, virtutem, nobis proficiant ad medelam. Per eumdem Dominum, &c.

